

DE EMANCIPATIONIBUS LIBERORUM.

8.49.1

Impp, Diocletianus et Maximianus AA. Herennio.

Si lex municipii, in quo te pater emancipavit, potestatem duumviris dedit, ut etiam alienigenae liberos suos emancipare possint, id quod a patre factum est suam obtinet firmitatem.

PP. III non. Dec. ipsis IIII et III AA. consss.

[a. 290]

8.49.2

Idem AA. Gennadiae.

In emancipationibus liberorum nec non donationibus non tam scriptura quam veritas considerari solet.

PP. V id. Mart. Tiberiano et Dione consss.

[a. 291]

8.49.3

Idem AA. et CC. Heliodoro.

Non nudo consensu patria liberi potestate, sed. actu sollemni vel casu liberantur, nec causae, quibus motus pater emancipavit filium, sed actus sollemnitas quaeritur.

S. XV k. Oct. Sirmi AA. consss.

[a. 293]

8.49.4

Idem AA. et CC. Coloniae.

Nec avus neptem suam liberare potestate cogitur nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris est nostri.

D. id. Oct.